

*Aquila Hieroglyphica.*

**AQVILAM HIEROGLYPHICAM,**  
**DIE CRASTINO,**  
**IN AUDITORIO MAJORI,**  
**HORA IX. MATUTINA,**  
**POETICE**  
**DESCRIPTURI SUNT DISCIPULI QUIDAM NOSTRI,**  
**INFRA NOMINATI,**  
**QVORUM PRIMUS,**  
**FINITA EXERCITATIONE,**  
**PARITER**  
**NOBIL. AMPL. EXCELL. CONSULTISSIMO QVE**

**SENATUI**

**URBIS NOSTRAE,**  
**DE REGIMINE PRÆTERITI ANNI FELICITER GESTO;**  
**PRÆCIPUE DE VIGILANTE, PRO AVERTENDIS**  
**HUJUS LOCI**  
**INCOMMODIS ADHIBITA, PRUDENTIA**  
**GRATULABITUR.**  
**AD EOS IGITUR**

**BENIGNE ET BENEVOLE AUDIENDOS,**  
**VENERANDOS DNN. INSPECTORES,**  
**PATRONOS, FAUTORES ATQVE AMICOS STUDII**

**POETICI**  
**OFFICIOSE ATQVE AMANTER**  
**HIS LITERIS**  
**INVITAT**

**M. GEORGIUS ANDREAS Dinhold/ Rector.**

~~-----~~

**CI GNEA,**  
**LITERIS FRIDERICIANIS.**





**I**n pictura antiqua Jovis etiam aquila cernebatur, quæ volans, intra pedes suos, juvenem formæ nitore conspicuum portabat, Ganymedem videlicet, habentem in manu craterem, quo Jovi poculum propinaret. (a) Quippe avem illam superstitiosa antiquitas, & ingeniosa Poëtarum excogitatio non alii Deorum, quam Optimo Maximo, ut sibi persuadebant, consecratam voluit. Unde passim Aquila Jovis ales, Jovis armiger ales, Jovis minister, Jovis nuncius vel legatus appellatur; de quibus nominibus plena sunt scriptorum veterum pagina, plena vetustatis monumenta. Armigerum quidem alitem Jovis ideo cognominatum fuisse apparet, quod tela ejus trifidula & fulmina gestaret, & evibrandis fulminibus ac ciendis tonitribus inferviret, quoties percellendum genus humanum & terrore percutienda seculi improbitas esset. (b) Administer autem ales propterea audit, quoniam præsto esset hero suo, si quæ ejus opera vel ministerio forsitan indigeret; quemadmodum Ganymedem supra citatum ex Ida, monte minoris Asiæ, aliquando rapuisse ferunt, ut esset, qui Hebes, seu Juventatis, ob turpitudinem suæ nuditatis depositæ, vicem suppleret, atque pincernæ cælestis munere fungeretur. (c) Sed idem ales armiger nuncii quoque & legati appellationem meruit, eo quod legationes, si quæ essent illustriores, Jovis ipsius auspiciis obiret, perpetuoque administraret; sicuti terrarum umbilicus, de quo disceptari inter Deos ceptum erat, emissis hinc inde in orbem duabus aquilis, comperiebatur. (d) Ecce autem Aquilæ tantum tribuerunt honoris? Heic sane in diversas sententias abeunt literati, aliis alia fundamenta quærentibus, quibus suas rationes niti confidunt. Ego causas sequentes, quibus Jovis & Aquilæ commercium stabiliatur, non contemnendas, sed approbandas esse existimo. Primum omnes fabularum rum conditores, tum interpretes in eo conveniunt, cælum Jovi sortito obtigisse, cum paterna hæreditas tres inter filios, Jovem, Neptunum & Plutonium divideretur. (e) Ex quo naturæ pervestigatores Jovem ut ignem, qui supremam mundi partem occupavit, (f) interpretantur, utpote qui & Græcis Ζαϋς, i. e. vita, sive calor vocatur, sive quia igne vitali animata omnia dicerentur, ut vult Heraclitus, sive quod hoc elementum vi ingenita vehementer caleat. (g) Jam vero experientia id jam pridem comprobavit, aquilam solis avem, solis jubar cælumque anhelare, radios solares in pabulum suum & in documentam genuinæ sobolis introspicere oculis minime convenientibus, acieque interrita facem ætheris fulgentissimam sustinere; imo ne procul tantum lumen exoptare saltem videatur, in ipsam usque auram supremam, sublatis alis, evolare, intra nubes se abscondere, solis ipsius, cum tunica in oculo densa gaudeat, sedem ambire ac domicilium. Hanc igitur excellentiam naturæ & magnitudinem aquilæ præclarissimorum virorum ingenii ad meditationes jucundas argutasque profuisse legimus. Joan. Baptista Colbertus, regni Gallici Minister in primis ponendus, cum in collegio Parisino Soc. Jes. recitantes aliquando filios suos audiret, Carolus Ruæus, Poëta suo ævo celebratissimus, Aquilam typis excudi fecit, erecto capite sursum spectantem ad solis corpus lucidissimum; pullos deinde parentis lateri adjungens, pari austruatoque ferme studio eodem oculorum convertentes lumina. Quid sibi literis excultus homo voluerit, ipsa inscriptio, ut puto, satis aperte declarat: *Jovi educat.* (h) Idem nobilissimos Gallie Proceres ad Aquilas in solem defixas oculos flectere, & celsæ mentis alas explicare voluit, quando eadem propemodum imagine legentibus ostendit, cælestes artes generosæ juventuti monstrandas, animos atque ignes inspirandos soboli, ut otia mollitiemque animi fugiant; ne contagio vitiorum ignaviæ, furtim in mentes serpens, probi ingenii lumen paulatim extinguat. (i) Quo respicit numisma Amplissimi Senatus Norimbergensis, quod præmii loco iis dare solitum, qui è tertia tribu in secundam cum laude eveherentur. Aquilam illud exhibet cum pullo aquilino, eamque in auram cæli usque prospicientem, addita hac interpretatione: *nobilitatis virtus, non stemma, character*; in altera autem parte: *ingenii fructus.* (k) Ex eo factum est, ut Imperatores Romani Aquilam consecrationis notam sibi constituerent. In ipso enim consecrationis ritu, qui inde a Julio Cæsare ad Constantini M. tempora observatus est, simul ac ignem rogo supposuerant, ex intimo suggestus tabernaculo dimittebant Aquilam, velut animam defuncti (nonnunquam & defunctæ; ut divæ Sabinæ Augustæ nummus extrat) in cælum devehentem. Mirandum plane est, quot modis in hac superstitioe variatum sit. In quibusdam nummis Aquila toti orbi, tanquam prædæ, incubans cernitur; in aliis aræ; sæpe & templo, cippo, fulmini aut scipioni insistit. Est, ubi coronas & laureas in rostro tenet. Quemadmodum inter-

terdum

terdum duæ Aquilæ, ara interposita, & quidem figura magnifica, se ostentant, vel Aquilæ junctus Jupiter, aut superimposita consecrata facies curiosum lectorem allicit, aut denique dorso aquilæ inhæret Imperator, vel potius ejus anima, quam suis se oculis in cælum ascendentem conspexisse in eam rem mercede conducti jurabant. Sic in nummo, cujus inscriptio est: *Dions, Perr. Pius, Pater.* aquila cernitur, prout pilæ insidet, quasi eum supra cæli convexa sublatum esse innuat: in altera enim facie inscriptum extat: *Consecratio.* In Vespasiani nummo Aquila pilam tenet, atque ejusdem alis tabernaculum corymbis ac fertis redimitum. Aquila item in M. Antonini pii nummis multipliciter habetur; interdum cum fulmine, interdum etiam ipsum Antoninum inter alas gestare, aliquando cubicularem lectulum in cælum tollere videtur; additur solenne vocabulum: *Consecratio* (1) Sed hujusce antiquitatis cupidos ad celeb. Jo. Burchardi Menkenii, Prof. P. Lips. disputationem de Augustorum Augustarumque consecratione ablego, ubi ære incisâ pleraque, quæ calamo descripsi, multa cum voluptate exhibentur. Unde liquet, quæ causâ fuerit, cur fonniorum interpretes crediderint, Regibus hoc & viris principibus mortem portendere, si fonniarint, se aquila vehi, (m) aut si aquila eos circumvolasset. Quippe cum Octavianus Augustus, in campo Martio, magna populi frequentia, lustrum condidisset, aquilam ferunt iterum iterumque circa eum alas motitasse, suosque repetentem circuitus tandem in vicinam ædem transvolasse, superque nomen Agrippæ ad primam literam sedisse; advocatos haruspices respondisse, eum haut multo post vitam cum morte commutaturum esse: quod & eventus comprobaverit. (n) Nec minus liquidum esse arbitror, cur Johannes Evangelista in societate sanctorum Aquila ornari, imo aquilæ cognomento insigniri meruerit. (o) Cum enim igneus ille ales ad ærem supremum & ad ipsum solis fulgorem rapiatur: Johannes, divinitatem Christi in primis aserturus, mentis aciem ad cælestia, atque ad sublime illud pietatis mysterium (p) ausu quodam heroico direxit. (q) Deinde aquilæ ideo cum Jove commercium quoddam intercedere credebatur, quoniam Jupiter, rerum omnium præfès ac moderator, æternis imperiis res Deorum atque hominum regeret, omnia nutu suo auspiciisque tueretur. (r) Aut quia Jupiter rudes adhuc ad vivendum populos, legibus a se constitutis parere persuasisset, inductis matrimoniis, tanquam seminariis rerum publicarum, ferino more viventes ad Deorum cultum erexisset, omniaque divina providentia gubernari ostendisset. Sic volans aquila læti omnis nuncia faustique angurii interpres habebatur. In castris Cæsaris luce prima, in culmine Prætorii super linteum confedit aquila, inde circumvolantibus, ut fit, avibus excita, de conspectu abiit. Secuta mox Cæsarem res prospera sunt. (s) Aquila curus Gordii jugo per torum fedit diem: ex quo Phrygiæ regnum Midæ ejus filio præmonstrari perhibebant. Achivi sciscitantes oraculum, quis creari e suis Rex deberet, deficientibus Heraclidis, id responsum acceperunt: aquilam id significaturam esse, paucisque diebus aquila superne delapsa Egonis domo confedit, atque ita Egon regiam dignitatem, indice Jovis alite, nactus est. Hieroni Siculo admodum adolescenti, privata fortuna homini, aquila, quæ primo bello, quod inivit, in ejus clypeo resedit, regio eum ornato olim indutum iri pronuntiavit. Tarquinio Prisco Romam migranti aquila pileum ex itinere abstulit, futuri, ut uxor Tanaquil interpretata est, principatus augurio. Diadumeno, Macrini filio, in agro ambulanti aquila pileum sustulit, quem deinceps in capite regiæ cujusdam statuæ deposuit, id honoris aruspibus adolescenti pollicentibus. C. Marius cum nidum aquilæ, cum septem pullis puer adhuc in agro forte reperisset, eumque gremio susceptum ad patrem detulisset, Pater admiratione motus, consultis auspibus, septies penes illum aliquando rei summam futuram accēpit, quod postea in totidem, quos apud Romanos gessit, consulatibus apparuit. (t) Et in nummis antiquis aquila fulmini insidens, adjecto oleæ ramo, conspicitur. Quæ quidem inventio adeo placuit Carolo V, ut symboli instar, adjuncta explicatione: *Cuique summam, eam adamaverit: adamaverit pariter & Maximilianus II. Imperator;* sed mutata expositione in Græcum? ἐν καρπῷ ἐκείνου. (u) Idem præterea aquilam mundo insidentem figurari, ac verba fiducia plena adscribi iussit: *Dominus providentis.* (w) Porro neminem fugit; Jovem Deorum Regem, cui cælum & cæli regnum in sortem cessit, sceptrum eburneo intignem, ut gentiles opinantur, in throno majestatis sedere, ex eoque nutibus atque auspiciis suis late imperitare orbi terrarum. (x) Sed & naturæ doctores insignem quandam animi magnitudinem in aquila observant; utpote de qua narrant, quod tenuium virium animalcula magnifico ausu præ se contemnat, eorumque vindictam longe infra suam puter altitudi-

OKTAVI

X 342 MUS

titudinem. Cum cornice enim in certamen venire quasi erubescit, ut vetus testatur proverbium: *αἰὲν νεώτερον ἴσσοι ἐλεῖ*, i.e. aquilam cornix ludificatur, alis sublati raptim se in auram levans; aut inimicam avem, si ea modum nullum vexandi faciat, tandem arreptam unguibus dilacerans. Neque aquila muscas captat, sicut rufus est in proverbio: *αἰὲν ἐδ' Ἰσσοῦνι μύιας*, quæ eam prædam sua magnitudine indignam habeat; Contra tauros, cervos, dracones & robustatis maximæ animalia sine metu aggreditur. (j). Est enim ille ales, dicente Pindaro, *ἀρχὸς αἰώνων*, i.e. princeps avium, (k). Seu *αἰγυῖον βασιλεύς*, volatiliū Rex. (aa) Quapropter quem ille Pindarus, Lyricorum princeps, semet aquilam vocare non veritus est, quem admodum contra Bacchylidem, summam in Lyricis laudem sibi rapere volentem, gratulum appellavit. Tradit Antonius Liberalis Jovem fulmen suum, hoc est, sceptrum aquilæ committere in custodiam. Sed recte eum locum a Xylandro correctum ait Thomas Munkerus, causam interponens, aquilam nunquam sceptri custodem, sed fulminis, neque sceptrigeram, verum armigeram introduci. (bb) Interim sæpe aquilæ simulacrum cum sceptro conjunctum fuisse legimus, ut I Tarchinius Rom. Rex sceptrum eburneum, in summitate habens aquilam gestavit. (cc) Quem vero literatorum hominum later, Jovem propter vim & potentiam, quasi juvenem patrem, a Majoribus cognominari Maximum? Aquilæ autem potentiam vimque terribilem vel ex eo colligas, quod omne genus volantium præsentia sua in terrorem conjiciat. Propterea fulmen bifidum pedibus gestare dicitur, quod suspendo pollear robore, neque ad hostis aspectum trepidare videatur. Inde Romani, cum antea interdum lupum in signis militaribus præfuisset, idque in honorem lupæ, quæ Romulum & Remum, urbis conditores, aluisset; interdum suem sibi elegerunt, ut in quinta legione, quoniam, ut Festus tradit, bella omnia gerantur propter pacem, cujus conditiones, porca cæsa, iniuri solebant; sæpe Minotaurum aciem antecedere voluissent, quia ut hic in Labyrintho latuit: ita ducum militarium consilia cunctos latere debeant; (dd) ad significandam imperii potentiam ac majestatem primæ legionis cohortem Aquila insigniverunt, cujus custodia penes primipulum, sive primum triariorum centurionem erat. Ita enim Aquilæ hujus lese expandentis effugiem potentie vindicaverim, quam instituto Jovis, de quo relatum legimus, quod, antequam in bellum contra Titanes exiret, liberaturus videlicet parentes suos & vinculis, sacrificanti in Naxo augurium futuræ victoriæ dederit ut quis: quare illam sibi sacram avem in posterum esse, & in reliquis expeditionibus imaginem istius alitis pro signis militaribus antefereî mandasse. (ee) Hinc inter argumenta triumphantium scipio eburneus, aquilam habens in summitate, conspiciebatur. (ff) Hinc sacratissimi nostri Imperatoris insignis Aquilæ, grande ipsius imperii documentum, (gg) in aureo fundo (qui divitiis, abundantiam, nobilitatem in fide significat) nigra, (qui color silentium, prudentiam & consiliorum occultationem arguit) expansa, (qui monet Imperatorem officii, non otio, non epulis aut deliciis hic indulgentem; sed in id incumbendum, ut totius imperii administrationem animo complexus, proximis, remotis attendat provisis, affulgeat ore, consulat labore) lingua rostrata & unguata colore rubro, (qui fiti iudicium generalitatis honorum, dignitatum inædemata (quod de circulis illis rubicundis, qui utrimque aquilæ caput ambiunt, accipiendum) duo denique habens capita, quam figuram natura in cancris fluviatilibus & radibus silicis femine impressit. Causam aquilæ bicapitis quidam ex imperii seclione in orientale & occidentale queunt, quam f. c. licet biforme imperium, bicapitem quoque Aquilam peperisse contendunt. Alii dicunt duo capita in uno corpore Aquilæ duos, notare Imperatores idem possidentes imperium, Romanum & Turcicum. Sunt, qui cladem Varianam, quam Germani legionibus Romanis intulerunt, in memoriam sibi revocantes, pro sua lententia Flori adducunt; signa & Aquilæ duas adhuc barbari possident. (hh) Nic. quidam Ulpianus huc delabitur, ut dicat, quod scissam Aquilam Imperator habiturus fuit, quia in sacris suis indifferens deberet esse. Linnæus, ille Publicitarum pater, divinitus, Aquilam imperii eadem licentia bicapitem esse, quia Janus olim bifrons fictus & pictus fuerit, signarique eo modo pervigilium, quod pro salute imperii ab utroque latere fieri deberet, neque minus promptitudinem defendendi nota ipsum pectus, tum tergum imperii, & universa latera. Addamus Cl. Schwederi consensuram; duo capita ejusdem avis hoc ostendere, Romanum imperium cum regno Germanorum ita in Ottone in unum corpus coaluisse, ut separari amplius nequeat, sed nexu indivulso invicem coherent. (ii) Denique & Jupiter & Aquila oculis plus quam lynceis præditi inter se convenient. Quod exponi copiosius hic a me non potest, cum proponendum sit ad discipulos nostros, quorum

- I. JOHANNES CASPAR OTTO, Cygneus, Aquilam regie majestatis notam carmine Germanico,
- II. JOHANNES CHRISTIANUS FRANKIUS, Glauchaviensis, Aquilam gratitudinis notam carmine Latino,
- III. DAVID HEINRICUS ZORN, Meeranus, Aquilam prosperitatis notam carmine Latino,
- IV. BENJAMIN SCHMIDDERUS, Reinsdorffensis Misa, Aquilam senectutis revirescentis notam carmine Germanico descripturi sunt. Quod his literis significandum fuit. P.P. Cygneæ 10. Octobr. A. 1707.

(a) Albricus Philof. d. Door. imag. n. 2. (b) Claud. in Prop. Conf. Mall. Tirod. (c) Virg. l. i. Æn. C. 1. l. d. nat. Door. (d) 6. Programna nemi. d. uniblicis terrarum. (e) Albric. l. c. (f) Ovid. met. (g) Fulgenti Mytholog. l. 2. n. 2. (h) in Symbolis heroticis p. 188 (i) l. c. p. 105. (k) Emblem. Altost. c. l. p. 2. (l) Pier. l. c. in Hieroglyph. l. 19. c. 4. (m) Artemidor. l. 2. c. 20. (n) P. l. c. (o) Georg. Reiffst. Aquila johannis triplicis figura descripta. (p) i. Tim. 3. 16. (q) Camerar. Embl. (r) Virgil. l. Æn. 1. (s) Jul. Obsequens prodig. 119. (t) Pier. Val. Licij. c. 2. Hierog. (u) Camerar. Embl. 17. Embl. 3. (w) Oratio suaveria D. Job. a. Crassificum. (x) Albricus. l. c. de Wolf. d. orig. & prog. Jol. l. 1. p. c. 77. (y) l. c. Jflom. Od. 6. (aa) Id. in Olymp. (bb) ad Albricum c. 1. l. c. (cc) L. 1. i. Hist. (dd) Virg. 3. (e) Nat. Com. l. c. Mythol. (ff) Diw. l. 3. (gg) Spener. Opus Marat. l. 6. c. 8. (hh) l. i. c. 12. (ii) introd. in jus pub. Part. 1. p. 1. scil. l. 8. 17.

